



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1859

LXIV. Giso Stesow, Bürger zu Salzwedel, überläßt dem Kloster Diesdorf, das seine Tante aufgenommen hat und seine Tochter aufnehmen soll, eine Salzhebung aus Lüneburg, am 25. Juli 1357.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54934)

LXIII. Das Johanniſtkloſter zu Lübeck nimmt das Kloſter Diesdorf in ſeine geiſtige Gemeinſchaft auf, am 13. Januar 1357.

Hildegundis, dei gratia Abbatiffa totusque conuentus ſanctimonialium monaſterii B. Johannis euangeliffe in Lubeke religioſis in Chriſto monialibus prioriffe totique conuentui monaſterii in Diſtorp deuotas orationes in filio virginis glorioſe. Cum varii et inexcogitabiles ſint humane fragilitatis euentus, nec quiſquam ſcire poteſt, quando aut quo fine diem claudat extremum; — Hinc eſt quod ſcire vos cupimus per preſentes nos ob ſpecialeſ deuotionem, quam ad nos — vobis. dediſſe et contuliſſe plenam fraternitatem et participationem omnium bonorum operum ſpiritualium videlicet miſſarum orationum vigiliarum, caſtigacionumque, que pro viuſ ac defunctis facta fuerint apud nos die noctuque domino concedente, ut ſitis participes in vita pariter et in morte. Datum Lubeke, anno domini M^o. CCC^o. LVII^o. in octaua epyphanie domini, noſtro ſub ſigillo.

Gercken's Dipl. II, 213. 214.

LXIV. Giſo Steſow, Bürger zu Salzwedel, überläßt dem Kloſter Diesdorf, das ſeine Tante aufgenommen hat und ſeine Tochter aufziehen ſoll, eine Salzhebung aus Lüneburg, am 25. Juli 1357.

Nouerint uniuerſi preſentes et poſteri hanc preſentem paginam viſuri ſeu audituri, Quod ego Ghyſo, Stezowe dictus, cuius in antiqua ciuitate Soltwedele, recognoſco publice in hiis ſcriptis lucidius proteſtando, quod de pleno conſenſu ac libero arbitrio filii mei Johannis fratrumque meorum Johannis ac Henrici, nec non omnium meorum heredum legitimorum ex iuſto venditionis tytulo vendidi et dimiſi, vendo ac dimitto matertere mee perdilecte Deo dicte Sanctimoniali Margarethe Stezowe, nec non ſingulis religioſis dominabus ſanctimonialibus Officii omnium Chriſti fidelium animarum cenobii Dyſtorpe procuratricibus dimidium plauſtrum falis in ſalina Lüneburgh, in domo dicta Eyinghe pro octoginta ſex marcis Lüneburgenſium denariorum mihi et meis veris heredibus plenarie perſolutis. Quod quidem dimidium falis plauſtrum Thydemannus de Molendino, cuius in Lüneburgh, pro nunc cuſtodit, in honorem omnium Chriſti fidelium in ſubſidium refectionis ſingule ſerie ſexte uniuerſarum religioſarum prenotati cenobii Dyſtorpe dominarum perpetuis temporibus hereditatio iure ſingulis annis in feſto natiuitatis Chriſti integraliter et expedite pacifice et abſque ulla contradictione ſubleuandum perhenniter percipiendum nec non poſſidendum. Cum quibus vero octoginta ſex marcis prelibatis una meorum filiarum in monaſterio ſepedicto Dyſtorpe per me meosque fratres conſtat mancipata religionisque habitu decorata. Vt autem uniuerſa et ſingula per me meosque legitimos heredes grata rata maneant et illeſa, preſens hec litera ſigillo meo et ſigillis Johannis et Henrici dictorum Stezow fratrum meorum ſiſtit firmiter roborata. Preſentibus viris honeſtis et diſcretis Thiderico Thurize, Arnolde Klezeke, Volemaro Hartwici, Gherardo Ghente, Nycolao Gode-

schalco et quam aliis plurimis fide dignis. Datum et actum anno domini M^o. CCC^o. quinquagesimo septimo, ipso sacro die et festo Jacobi apostoli gloriosi.

Gercken's Dipl. I, 445. 447.

LXV. Propst und Convent des Klosters Diesdorf verkünden die frommen Werke, welche die Marienbrüderschaft und der Convent täglich begehrt, am 9. October 1358.

Nos Johannes de Buc, dei gratia prepositus, Elyzabeth eadem gratia Priorissa totusque conuentus sanctimonialium in Dyistorpe ordinis S. Augustini, omnibus presentia visuris et auditoris orationum in Christo et pacis continuum incrementum. Scire cupimus uniuersos Christi fideles presentis temporis et futuri, quod nos ad instantiam proborum virorum ac seminarum ea, que sunt de gratia fraternitatis S. Marie, conscribi fecimus uniuersa, que cottidie per nostrum conuentum fiunt de clementia saluatoris. Agimus enim per singulas horas canonicas fratrum et sororum psalmos cum quindecim gradibus canentes, insuper septem psalmos legimus pro uiuis et septem psalmos pro defunctis. Agimus insuper omni die summis festiuitatibus tantundem exclusis uigiliis et missas pro defunctis. Legimus etiam singulis diebus duo psalteria cum quibusdam collectis ad eam pertinentibus, exceptis Sabbatis, in quibus tria psalteria complete cantamus. Seruamus etiam speciale officium in salutare remedium omnium fidelium defunctorum, uidelicet singulis sextis feriis, unum psalterium canentes infertis eidem psalterio seriatim triginta passionibus domini. Fiunt denique quedam specialia, in quibus fratrum et sororum memoriam agimus, uidelicet castigationes cottidiane, que in auribus singularum non sunt recitanda. Participantes insuper eisdem uniuersa et singula bona, que per nostrum conuentum amore dei seruitiis, castigationibus, jejuniis, uigiliis, missis et orationibus in nostro monasterio operari dignabitur clementia saluatoris. Omnes quoque fratres, sorores ac benefactores nostre fraternitatis et alii Christi fideles, qui ad nostram fraternitatem de bonis a Deo sibi collatis manus suas porrexerint adjutrices dummodo contriti fuerint et confessi, indulgentias mille et centum dierum de iniunctis sibi poenitentiis assecuntur. Et cum dies obitus alicujus eorundem nobis intimabitur, extunc quelibet persona nostri conuentus pro ipso cantabit septem psalmos et de uespere uigilias, de mane missam pro defunctis noster conuentus pro nouiter defuncto, sicut presens staret idem defunctus, celebrabit. Et quicumque nostram desideraret fraternitatem ac se uniuersorum et singulorum honorum operum nostrorum esse participem, nobis faciet prout in sua conscientia operabitur gratia saluatoris. Damus etiam latori presentium quoslibet, qui se nostre fraternitati elegerunt, ob honorem dei et gloriose matris Marie aduandos recipiendi in eandem fraternitatem nostram auctoritate nostre ecclesie liberam facultatem. In horum omnium euidentiam ampliorem sigillum nostri conuentus presentibus est appensum. Datum anno domini M^o. CCC^o. LVIII^o. in die beati Dyonisii martyris.

Gercken's Dipl. I, 448—451.